Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift



nazareni surge et ambula. Et apprehensa eius manu dextera.
alleuauit eum. et protinus consolidate sunt bases eius et plante. Et exiliens
stetit et ambulabat. Et intrauit cum illis in templum. ambulans.
et exiliens. et laudans dominum. Annorum autem erat amplius xl.

Augebatur autem numerus credentium in domino. multitudo uirorum ac
mulierum. ita ut in plateis eicerent infirmos. et ponerent in
lectulis et grabatis. ut ueniente petro saltem umbra illius obumbrare
quemquam illorum. Concurrebat autem et multitudo uicinarum ciuitatum
ierusalem. afferentes egros. uexatos a spiritibus in mundis qui curabantur omnes.

Cum audissent autem apostoli qui erant in ierusalem. quia recepit
samaria uerbum domini. miserunt ad illos petrum et iohannem. Qui cum
uenissent orauerunt pro ipsis. ut acciperent spiritum sanctum. Non dum enim in
quemquam illorum uenerat. sed baptizati tantum erant in nomine domini
ihesu. Tunc imponebant manus super illos. et accipiebant spiritum sanctum.
Cum autem uidisset symon. quia per impositionem manus apostolorum daretur
spiritus sanctus. optulit eis pecuniam dicens. Date et mihi potestatem. ut cuicumque
imposuero manus. accipiat spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum. Pecu
nia tua tecum sit in perditione. quoniam donum dei existimasti pecu
nia possidere. Non est tibi pars neque sors in sermone hoc Cor enim
tuum non est rectum coram deo. Penitenciam itaque age ab hac nequitia
tua. et roga dominum. si forte remittatur tibi hec cogitatio cordis tui.
In felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis. uideo te
esse. Respondens autem symon dixit. Precamini uos pro me dominum.
ut nihil ueniat super me horum que dixistis. Et illi quidem testificati
et locuti uerbum domini redibant ierosolimam et multis regionibus
samaritanorum euangelizabant dominum.